

12 2940  
I. N. J.  
DE

15

# VERSIONE VULGATA PONTIFICIORUM,

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

*Qdam*

CUM CONSENSU AMPLIS. FACULT. PHILOS.  
In Regia ad Aoram Academia,

SUB MODERAMINE

*Admodum Rever: & Preclarissimi viri*

DN. ISAACI  
*pjshmann*

Lingg. Orient. Profess. Ord.

*Candidi Censoris placide censuræ  
Summa modestia defere*

HENRICUS E. JUSTANDER  
Bor. Finl.

Ad Diem 13. Decemb. A. M. DCC. II.  
*Horis locoque consuetis*

---

Exc. Jo. WAL,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS,  
Summe Fido VIRO  
PATRI in CHRISTO Reverendissimo,  
**DN. JOHANNI GEZELIO,**  
Doctoris, Episcopi, Pro-Cancellarii  
Nominibus,  
Famigeratissimo, Celeberrimo, Magnifi-  
centissimo,  
Sectatorum Scientiæ & Honestatis Cultorum  
MACENATI & PATRONO,  
re vera  
EMINENTISSIMO;  
sed simul  
BENIGNISSIMO.

O! mirandam temperaturam & amicam unionem  
diversissimarum Virtutum  
**REVERENDISS: TUÆ PATERNITATIS**  
EMINENTIÆ & BENIGNITATIS!  
O in Clientulorum qvorumlibet animis  
TIMOREM & AMOREM  
excitandi  
Singularem vim!  
TIMEAMUS  
EMINENTIÆ VESTRÆ  
in conspectum prodire indigni,  
Dignis destituti manusculis.  
AMAMUS  
Imo amplectimur ac exosculamur,

BE

BENIGNITATEM

Fæci qvodammodo veniam sperantes.

O EMINENTIAM benignam & BENIGNITATEM  
eminentem

Uni qvod placet, ALTERI nec displaceat.  
Ignoscent

EMINENTIA & MAGNITUDO

Fiduciae, tantillo operi præfigere ause  
TANTUM NOMEN;

&

GRATIA BENIGNITASQUE

suum qvod est proprium,

In hunc TIMORIS & AMORIS partum  
radios coruscare patientur favoris.  
sic ex debito

DEUM,

pro longævitate & prosperitate

REVERENDIS: TUÆ PATERNITATIS,

In ECCLESIAE, FAMILIAE, CLIENTELAE,

SALUTEM, Deus, COMMODUM,

sedulò & fideliter,

ardentissimis compellare precibus,

qvoad Fata vitam concederint,

haudqvaquam intermitte

REVERENDISS: TUÆ PATERNITATIS

*Humilimus Cliens*

HENRICUS E. JUSTANDER.

Honorum & laborum senio, Eruditionis fama  
titulis, Venerando, Celestis  
Admodum Reverendo Amplissimoque

M. HENRICO FLORINO,  
Pastori in ~~Peinat~~ dudum emerito,  
Districtus vicini Præposito gravil-  
fimo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo

M. NICOLAO FRIDELINO,  
Pastori animarum in Ecclesiis, quæ  
Deo in Rorpo colliguntur, degentium  
egregie merito.

Perquam Reverendo & Doctissimo

DN. MATTHIAE MANDRAE,

Pastori in Lemno fidelissimo.

Perquam Reverendo & Doctissimo

DN. SIMONI WACCENIO,

Pastori in Masso vigilantissimo.

Reverendo ut & Doctissimo

DN. JOHANNI RHAM,

Sacellano in Wirtembergie egregie merito.

Mecenatibus, Promotoribus atque Fauto-

vis obsequiorum gene-

ANNOS ET PRO

RIS

ma, Dignitatum gloria, Munerum Virtus-  
bribus Inlytis Conspicuisque.

Plurimum Reverendo & Clarissimo

M. HAQVINO PÆMANN  
Ecclesiarum quæ DEO in Wirmo  
colliguntur Pastori longe dignissimo,  
Paræciarum adjacentium Præposito  
meritissimo.

Plurimum Reverendo Doctissimoque

DN. SVENONI BRENNERO,  
Pastori in Esho meritissimo.

Perquam Reverendo atq; Doctissimo

DN. ERICO LETHALENSI,  
Pastori in Nouis laudatissimo.

Reverendo Doctissimoq;

DN. ERICO JUSTANDRO,  
Ad Ædem Div. Mich. Pastori di-  
gnissimo.

Reverendo nec non Doctissimo

DN. HENRICO HYPPING, Ferrariae  
Forsbyensis Praeconi accuratissimo.

ribus, Summâ animi reverentia & quo-  
re etatem colendis.

SPERA FATA!

**P**ersuadete, oro, Vobis Domini id  
reverendi  
Submissi obsequii sint documen-  
ta quod hæc;  
Quando prometitis nequeam pro-  
ferre venustra  
**V**estrīs, cēu volui, profero quod  
valeo.  
Accipite exiguā chartam, quā vota  
seqvuntur  
Pectoris ex imo calida fusa  
DEO,  
**V**vite Ductores, Patresque diu &  
Favatores,  
**C**hristeidi, **V**estrīs & mihi eeu  
voveo!

HEN. E. JUSTANDER.

*Ad*

EGREGIÆ DISSERTATIONIS

Autorem Solerterem

*Virum Juvenem Honestissimum Doctissimumq;*

DN. HENRICUM  
JUSTANDRUM,

Amicum Honorandum,

*Ode festinata.*

Jussis valere rivulis,  
Justander, usque respicis  
Ad ipsa fontis limpida,  
Nectarque commendabile.  
Quid distet aurum sordibus,  
Tua est, Amice, sedula  
Fuitque cura quærere,  
Qvæsisse nec Te pœnitet.  
Vulgata dum sic versio  
Proscripta & exul audiet,  
Pio in Tuo conamine  
Vulgare nil deprendimus.

TORST: RUDEEN.

Versionem, quæ Vulgata audie-

<sup>â</sup>  
Pereximio atque Præstantissimo

DN. HENRICO JU-  
STANDRO,

Collega Scholæ Cath. Aboënsis industrio,  
Amico honoratissimo,

*Dissertatione doctâ dignè notatam:*

Versio perversa est, Vulgato no-  
mine dicta,

Namque; it perversum, quæ proptere  
versa dedit.

Hanc sale quivum justo Justander de-  
fricuisti,

Auguror everlam, Te sed habe-  
re salem.

ERICUS CAFANUS.

Ausibus his adsis DEUS O! du-  
casquè benignè  
Mentem, quo possit faustum con-  
tingere metam!



Erstiones Sacri Codicis enho-  
merare omnes, non existi-  
mamus necessarium. Va-  
rietatem earum ferè cum  
pluralitate linguarum cer-  
tare non immerito dixeris;  
etenim nostro etiam idiomate finnico binas  
conspicere Versiones, datum est : licet ad nos  
serius cœlestis pervenerit revelatio. Nec de  
existimatione, integritate aut nœvis ullius  
Versionis, ex professo agere , vel quidquam  
censorii ferre in eas judicii decrevimus, ma-  
joris res illa est momenti , quam ut sim-  
plici capiatur cerebello ; Sed commenratio-  
nem in Versionem, qdæ Vulgata appellare  
A. speo.

svedit, simplicissimam eamque brevissimam,  
 exhibere animus est: ut pateat, quomodo illa in  
 manus inciderit Papistarum malignas, & for-  
 mā suā primitiva spoliata, nunc corrupta &  
 fucata compareat facie, Titulo adeo Au-  
 thentiae, quā ex indulgentia & liberalitate  
 Concil: Trident: & P P. R. R. in Papatu  
 falsò superbit, indigna. Arrisit argumentum,  
 suique tractationem p̄e aliis eligendam  
 svasit, ut puta cuius cognitio scitu non pa-  
 rum necessaria, manum autem admoventi &  
 rem iusta animi lance pensante, molestiae  
 sese obtulerunt haud exigue & difficultates,  
 qvibus superandis cum meas vix sufficeret  
 sentirem vires, ne in levitatis notam incur-  
 rerem, immaturum bune ingenii fœtum lucis  
 publicæ tradendo, verebar. Tandem huma-  
 nitati Lectoris & aqvo ejus judicio memet  
 submittere haut detrectans, pro modulo te-  
 nuiissimi ingenii, institutum aggredior gemi-  
 nā b. c. D. sectione: In priori Nomen &  
 appellationis rationem, in posteriori propositæ  
 versionis descriptionem traditurus.

MEM.

# MEMBRUM PRIUS,

## §. I.

Principiò in præsens institutum, re-  
cta reqvirit methodus ab eruditis du-  
dum adprobata ingenii, Ονοματογίας  
ratio ut observetur. In qva tradenda  
tanto erimus breviores, qvanto hic se  
sub notationem dictiones fistunt facilio-  
res. Est namque & in vulgus cogni-  
tum, quod *Versio* sit substantivum verba-  
le à verbo *Verto*, cuius significationes,  
quæ multæ & variæ sunt, hac vice ad-  
notare omnes, merito supercedemus:  
cum cuilibet notum esse possit, quid  
heic in sinu soveat. videlicet transla-  
tionem unius sermonis in alium. Ad-  
jectivum est substantivo adjunctum;  
*Vulgata*, cuius etymologiæ ratio itidem  
obvia: Descendit a verbo *Vulgo*, quod  
est cuique notum facere; quare autem  
hæc *Versio* hoc epitheton nacta est, mox  
subjicietur. Ulterius additur quod hæc  
*Vulgata Versio* sit Pontificiorum, denomina-  
to-

torum à Papa Romano, qui se Pontificem salutari vult; quorum hæc Versio est, partim qua originem, partim qua defensionem & adprobationem.

§. II.

**A**ntiquissima omnium editionum Latinarum, fuisse putatur illa, quæ ex LXX. Interpretum Versione, ab auctore ignoto expressa, in Latinum translatæ fuit idiomæ. Hæc eadem ab Augustino Itala, Hieronomo autem vulgata audit. Huic proxima, qvæ lucem vidit, Versio Hieronomi, ex textu Hebræo adornata existimat, aliis nova editio dicta. Et quamquam non plures, quam duæ Versiones in Ecclesia tunc temporis usitatæ fuissent, earum nihilominus vel nuda existimatio, vel discrepantia, dissensiorum ac contentionum sæpius ministravit occasionem, fidelibus in diversa studia ab invicem distraetis, dum alii Veterem ex antiquitate, Alii Novam ex fontium consensu præferrent: Cumque hoc

hoc modo discordes, in se invicem minus digne invehementur, qvis tandem altercationum erat finis, nisi miserabilis Ecclesiæ status faciesque? Idecirco curâ & consiliis, qvorum intererat, prœsum fuit & mature deliberatum, ue missis motuum & litium seminariis, in restaurationē Ecclesiæ & Ecclesiasticum usum una, quæ omnibus efficit complacita, confarcinaretur, qvæ ex communè usu Vulgata diceretur, obliteratâ cum ipsa editione Veteris & Nove nomenclaturâ. Quod satis habemus de appellatione Versionis, partim quia brevitati litemus, partim quia sequentia ulteriore hunc subministrabunt illustrationem.

### §. III.

In inquirendo hujus Versionis Auctore dum animus est versari, nostrorum nequaquam esse virium ultrò fatemur, quod possit à nobis lis illa, quæ huc usque non potuit sedari, ita dirimi, ut nulla deinceps supersit disceptationis anta; Verum quâ sumus simplicitate, adnotabitimus præcipuas in hanc

banc rem sententias, facto simul indicio, quid de iis sit statutum, ex doctrinorum ante hac conclamatis vocibus. Quidam Pontificiorum, utpote, August: Steuchus Eugubinus, Masius, Petrus Sutor aliquique, propendens in illam sententiam, quæ fert Vulgatam conscriptam ab Hieronomo. Alii volunt eam conflatam esse ex Veteri Latina Itala ( translatâ ex Versione LXX Interpretum Græca per Hieronomum verò emendatâ ) & ex Hieronomi genuina Versione, quam ex Hebræo transluit. Priorem opinionem multis & operosè expugnare, non est è re, cum non desint alii ex Pontificiis, iisque doctiores, nimirum Pagninus, Driedo &c. qui absolute negant, hanc Versionem Hieronomo esse adscribendam. Idem statuunt ex Reformatis Perkinsus, Sixtinus Amama. Quo minus vero hæc possit esse Hieronomi Versio, ostendit instituta collatio, ex qua statim dispalcit tantam utriusque esse differentiam, ut unusquisque non omnino lusi-

scitiosus, ab illa ceu diserti Auctoris Exemplari, hanc solæcismis plenam, minimè descriptam esse; Illa namque textum Hebræum fideliter sequitur, ut opus viri istius linguae notitiâ hand vulgariter imbuti: hæc suam multifariam prodit à textu originali deformitatem, Auctorisque vel in interpretando imperitiam arguit, vel in detorquendo sensu voluntariam malitiam. Apparet hoc in antiquis Bibliis Anno 1497 editis; ubi hæc verba Gen. iv. 8 *Egrediamur foras* sunt addita, quæ tamen in textu Hebræo non habentur. In recentioribus 1590 Sixti V. Bibliis quæ adcuratiora existimantur, habetur 1. Sam. V. 9. *Nobis*, in Hebraicis vero *Nobis* 2. Cron: XXV. 5. in Sixti Bibliis habetur 30000, in Hebraicis vero & Clementis, post biennium excusis, 300000. Psal: CXXXVII 9. *Parvulos suos*, cum Hebraicè habeatur *parvulos tuos*. licet in edit. Lugdun. de anno 1622. legatur juxta Hebr. veritatem. 100 ferè talia loca possent adferri, sed eadē cui volupe  
fue-

8  
fuerit, inveniet citata in Antib: Bibl:  
Amamæ libr: 2. Cap. 10. Clemens er-  
go videns dicta vitia ex ipso fonte non  
manare, plurima in sua editione cor-  
rexit, que Versio sanè præstantior &  
correctior haberri posset, nisi etiam quod  
Sixtus bene verterat, Clemens de in-  
dustria depravasset, ceu liquet ex Ezech.  
XIV. 23. ubi Sixtus V. juxta textum  
Hebræum habuit *egredientur*, Clemens  
substituit, sed invito Iesu, *ingredientur*.  
Prætereo 8 millia vitiorum, quæ Isidorus  
Clarius Brixianus in Versione Vulgata ob-  
servasse & emendas legitur. Deinde  
probabile videtur, si Hieronomus in quæ-  
stionibus Hebraicis, & Libr: de opti-  
mo genere interpretandi multa obser-  
vavit reprehensione digna, in Vulga-  
ta Versione occurrentia, quod ejusdem  
non potest dici Auctor, quia ipse pro-  
priam Versionem eâ ratione castigatu-  
rus non erat. Ut taceam plurimum  
differre hanc Vulgatam, à versione  
illa Latina, quæ in operibus Hieronomi  
invenitur. Denique in adscribenda Vul-  
ga-

gata Versione Hieronomo, lubentes vi-  
etas dant manus Adversarii, dum  
versionem, tam absurdam totque folœ-  
cismis scatentem, Patri linguae Latinæ  
peritissimo, tribuere ipsos pudet. Sic  
enim legitur in antiq: editione supr:  
alleg: item recentiori lugdunensi A.  
1622 Psal LXVII. 21. *Benedictus Dominus*  
*NB die quotidie & Matt. VI. 26. Nonne*  
*vos NB magis pluris estis illis?* Cæterum  
qui ex antiqua Itala à Hieronomo emen-  
data, & secundum Versionem ex Hebræo  
ab eodem translatam, reficiam volunt,  
illi cum iis, qui Auctorem ejus planè  
ignotum esse assertunt, rem propius  
attingunt, quorum interim placitis ad-  
dimus cum aliis: *Versionem Vulgutam mix-*  
*tam esse, partim ex memoratis dua-*  
*bus, partim procul dubio ex aliis Ver-*  
*sionibus Latinis, translatis ex Græco*  
*LXX. vel ex textu Symmachi, Aquilæ,*  
*Theodotionis, aliorumque. Unde neque*  
*mirum, quod ex tot diversorum inge-*  
*niorum editis Exemplaribus, hujusmo-*  
*di collectanea, absurdæ & corruptæ trans-*  
*latio nata sit.*

MEMBRUM POSTERIUS,  
§. I.

Scriptum rudi minervâ contextum,  
brevitas quandoque solet gratum ac-  
ceptumque reddere, idem nobis  
de nostro pollicebimus, si breves  
fuerimus. Itaque qualitercunque opel-  
lâ priori defuncti, jam posterius mem-  
brum consimili ablolverimus brevitate.  
Pontificii præsentissimū malum ( quam-  
vis si saperent, salutare quam maximè  
bonum, ) ob oculos sibi versari, simulq;  
omnem suam dignitatem casuram con-  
spicientes : dum *Columnam veritatis &*  
*Portum*, ( scilicet ) *Vulgatam Versionem*  
( qvemadmodū eam Possevinus Biblioth.  
libr. 2. cap. 8. adpellat ) Reformati, ad  
originariæ dictionis amissim exami-  
nando, in dubium vocarent, ipsoisque  
ad fontes provocarent, conjunctis viri-  
bus laboranti caulæ medicinam quæren-  
tes, tandem post multam deliberatio-  
nem, totum negotium in hujusmodi mit-  
tunt compendium: *Nisi versio retroactis*

temporibus in Ecclesiis lecitata, & in scho-  
 lis recepta, pro Divina authenticaque ha-  
 beatur, in omnibus suis partibus; necesse est  
 Lutheranis vietas dari manus, atque infinitis  
 heresibus ( ita per calumniam vocant  
 orthodoxa Ecclesiæ nostræ dogmata )  
 perpetuisque per orbem Christianum, ja-  
 nuam aperiri. Propositionem major con-  
 firmavit pars, hunc in modum inferen-  
 do: Cum Divina providentia, scriptum au-  
 thenticum dederit Iudeorum Synagogæ &  
 Testamentum Novum Grecis, de Ecclesiæ di-  
 gnitate plurimum derogare, qui credat Ro-  
 manam Ecclesiam, absque beneficio tam sin-  
 gulari relictam, imo dubium non esse, quin  
 idem ille S. S. qui libros sacros declaravit, eam  
 etiam translationem, que ab Ecclesia Ro-  
 mana accipienda esset, dictuverit. Coënti-  
 bus ita plurimorum suffragiis adductis-  
 que etiam Patrum nominibus, non du-  
 bitavit Concilium Trident: sess: 4. De-  
 cret: 2. sancire, ut Verus & Vulgata edi-  
 gio in publicis lectionibus, disputationibus,  
 aut exceptionibus pro ALTHENIICA habeatur

&amp;

Et quod eam nemo rejicere. QVORIS PRÆ-  
TEXTU debeat vel præsumat. Sed quæ  
vos dementia cepit o Patres! dum  
canonizare iustinuistis Versionem,  
non dicam à tenore fontium diversissi-  
mam, sed & barbarismis & solœcismis  
undiuaque oblitam, quasi à San-  
cto Flamine inspiraram? hem inlani-  
am! Rem a. maximi momenti, & quod  
solido stabiliq; superstruendum fuit fun-  
damento, meritis conjecturis fulcire ad-  
laborant. Romana Ecclesia absque scri-  
ptura Θεοπνέυστη nō est relictā, quia habue-  
re Judæi, habuere Græci. Dissimulabant  
Romanam Ecclesiam verbum habere  
Θεοπνέυστον, si Versio Vulgata non esset  
Θεοπνέυστos, aut ignorabant sufficere, quod  
haberent fontes Ebræi Græcique Co-  
dicis divinitus inspiratos. Nec necesse  
est, Romanam Ecclesiam scripturâ in  
sua lingua Latina nempe authenticâ  
gaudere: Qvum multa alia habuerit  
Ebræa Græcaque Ecclesia, quæ Latinam  
habere nulla jubet necessitas. Et De-  
buiscent minimum in deliberatione tam  
pon-

ponderosa, respectum temporis præcedentis habere, ubi longe alia Versionis Vulgatae fuit auctoritas, nullo concilio, nullisque Patrum suffragiis, pro infallibili judicata, sed in collatione ad alias, ceu nævis corrupta, castigatoribus posthabita; Leo namque X. Versionem N: T: ab Erasmo· adornatam, Clemens VIII Psalterii interpretationem, à Cajetano factam, adprobarunt; neque fas suisset Lucensi Concionat: Apost: Pagnino, novam Versionem, sub auspiciis Leonis X, ipsoque sumptus faciente, adornare, si Vulgatam authenticam agnoscisset. Hæc si prius cogitassent, judicium canonizationis sine dubio suspensissent.

## §. II.

In communem quietem divulgatâ jam Concilii sententiâ, aliquem tantâ animi elatione repertum iri, tantâqve audaciâ, qvi, tam venerabilis Synodi Decretum, infringere auderet, qvâcunq; ratione, qvis præsumeret? Sed quam  
pi. 1.

primum fuit promulgatum, simul etiam violatum & protritum. Alii namque, cum extenuatione accipienda judicarunt Decreti verba, existimantes Concilio illam fuisse mentem de Versione Vulgata (α). Non ut cœlitus delapsam adorandam, sed vel actu tum factis præferendam, vel in comparatione ad dogmata, quæ contineat, fidei morumque, tantummodo esse authenticam, in qua, etiamsi levissima aliqua inveniantur vitia, (β) ipsa tamen fidei bonisque moribus, nusquam sit contraria. Alii, cernentes sublimius encomium à Synodo Vulgatae Versioni additum, authenticam ejus auctoritatem, in eminentiori gradu collocatam, profitentur defenduntque, docentes, (γ) ab omni errore emendatissimam, (δ) Simpliciter & absolute esse fidelem & sinceram in rebus,

quæ

(α) Andr. a Vega. (β) Joh. Dried: lib. 2. de transl: script: cap. I. Joh: Moriana Jesu: in tract: de Vers: Vulg: 6. 20. (γ) Sacrobosc: in defens. Conc. Trid. pag. II. cap. 9. (δ) Job: Steph. Menoch, in pref. annot. Bibl. cap. 18.

fidem & mores attinent; ( $\epsilon$ ) nec apertæ falsitatis & contradictionis posse convinci, etiam in iis, qvæ ad fidem & mores non pertinent, nec in re geographicæ, aut alia cujuscunque generis, errare. ( $\zeta$ ) Imo non solum infallibilem veritatem, & S. S. mentem in omnibus, quantumvis minimis partibus, non minus quam originalem scripturam continere, sed & priori loco venerandam esse, præ Græcis & Hebraicis Codicibus, etiamsi illi essent incorrupti. Ita mutuis pugnis fete conficiunt Papistæ, circa qvæstionem gravissimam, ad fundamentum fidei doctrinale pertinentem! Nec litem diremit auctoritas Concilii, sed auxit potius, quam tamen ipsi possimum faciunt controversiarum finendarum medium. Ambabus hisce partibus, ut pro modulo ingenii, qualiter cunque satisfiat, è re esse putamus, ut rationes ipsorum, cum Concilii senten-

tia

( $\epsilon$ ) Pineda in tract. de reb: Salom. I. cap. 7. p. 227. ( $\zeta$ ) Ludov. de Vena in isag. ad scrips. lib. I. diff. 6. cap. I. § III.

tia conferantur. Concilii autem sententia verbis luculentis minimeque obscuris lata est, de authentica habenda *Vulgata Versione* absolutè, nulla adhibita vel distinctione vel comparatione. Ubi autem lex, ad postulata Adsefforum circumstantium, non distinguit, cum unico verbo distinguere potuisset, ibi nec deinceps distinctioni locus est, quia lex, non adhibita distinctione, aut rationes extenuantium tanquam frustraneas neglexit, aut tanquam potiori parti contrarias, non attendit. Insuper id authenticum solum dicitur, cuius auctoritas est summa & *ἀριστερὸς*, vel omni exceptione & controversia superior; jam Decretum *Vulgaram Versionem* definit authenticam, talemque quæ à nemine *quovis pretextu* rejici debeat, ergo non tantum ab erroribus in fide & moribus absolvitur *Vulgata Versio*; sed ab omnibus erroribus immunis pronunciatur. Tandem cadit comparatio ad dogmata fidei & morum, quia si id voluisse Synodus, potiori jure Pagnini Ver-

Versio, Lovaniensem & Arix Montani  
judicio omnium tutissima, hoc titulo ei-  
set insignienda, sed latet anguis in herba,  
qvo de circa finem.

### §. III.

**V**idimus sententiæ Synodicæ osores  
& oppugnatores, excipiunt ejusdem  
Patroni & defensores. Qvorum occur-  
sus junctim cum nostræ exiguæ vires  
sustinere nequeant, in tres divisos par-  
tes aggrediemur (n). Sunt, uti dictum,  
qvi volunt Vulgatam translationem di-  
vinam ipsiusqve S. S. Versionem esse,  
Concilii decreto hanc suam superstru-  
entes (ut taceam hujus sententiæ pro-  
pugnatores in Concilio) & tali ratio-  
cinio firmantes: Scripturæ Divinæ au-  
tenticae propriissimè dicuntur, qvia i-  
psum DEUM auctorem habent; Au-  
ctorem infallibilem, adeoqve ipsum S.S.  
oportet illam Versionem dictasse, qvæ  
ipsissimam S. S. mentem per omnia ex-

C

pri-

(n) Petr: futor: Alph: Salmero, Titelmannus,  
Gretserus Reibera, Merinus.

primit & in omnibus, ut nullo prætex-  
tu à qvopiam rejicienda sit. Probanda  
certe incumbit adversariis hæc assertio,  
argumentis conscientiam convincenti-  
bus, hanc translationem ipsum DEUM  
auctorem agnoscere, eoqve nomine  
summam anctoritatem apud omnes in  
Ecclesia obtainere debere, ceu indubi-  
tatum DEI verbum, cui in omnibus  
credendum sit. Probent Ecclesiam u-  
sam fuisse tantum Vers: Vulg: & non  
Chaldaica & Græca V. Syraica & Ara-  
bica N. T. nec tamen illa ideo has di-  
vinas, multo minus Versionem à Tri-  
dentinis adprobandam, qvam nec vidit,  
pro Θεοπνεύσῳ habuit. Vulgata nulla  
habet κειτηεια vel argumenta Θεοπνεύ-  
σιας, nec testimoniis Ecclesiæ gaudet,  
qvæ Hebræum in V. & Græcum in  
N. T. immediato Divino afflatu per-  
scriptum credidit constanter, non au-  
tem translationem latinam. Imo ne  
Rom: qvidem Eccl: judicio habita est  
latina translatio pro divina, *ut supr:*  
§. I.

§. I. h̄j. membr: ostendimus, multo  
minus universæ Christi Ecclesiæ suf-  
fragio. Deinde si Vulgata Versio Di-  
vinæ originis esset censenda, utique,  
vel per immediatum S. S. afflatum, vel  
per aliam quamcunque infallibilem S.S.  
adſistentiam, eam factam esse oporten-  
ter; sed admittunt Hieronomum, quam-  
vis alias integerimum, in vertendo er-  
rare potuisse, ergo Versionis auctori  
non adfuit infallibilis S. S. adſistentia;  
verum nec conceditur ejusmodi affla-  
tus immediatus S. S. aliis nisi Proph:  
& Ap: qvi a. S. S. Φερόμεναι Scripturam  
Θεόπνευσον edidere 2. Petr. I. 21. 2. Tim.  
III. 16. hic afflatus in constituendo Ca-  
none reqvirebatur adfuitqve, postea  
autem cessavit, qvia ad transferendum  
Canonem constitutum destinatus non  
erat. Hieronomus ipse distinctionem  
facit translatoris & Vatis, dicendo: *Ibi*  
*Spiritus ventura p̄dicit, hic eruditio*  
*& verborum copia ea qvæ intelligit trans-*  
*fert;* Porro instantiam qvod atti-  
net

net habuisse Translatorem Vulg: Vers:  
 Spiritum propheticō vicinū. Suppo-  
 namus etiam *im̄fēn̄w̄s* hujusmodi Spi-  
 ritum dari, de qvo tamen in Scripturis  
 ne litera qvidem, eum tamen transla-  
 tionis Vulgatæ auctori tribuere vix  
 permittunt propria Pontificiorum *āntī-*  
*p̄ata*. Solent siqvidem ad Cathedram  
 Rom: *āntōrōp̄w̄s* alligare infallibilem S. S.  
*ādḡisāon̄*, translationem autem non ab  
 aliquo in Cath. Rom. constituto, sed à  
 privato qvodam incerto factam, extra  
 controversiam est. Tandem Versionem  
 Vulgatam, Majestatem S. S. loquentis in  
 scripturis non assecutam esse, nec ver-  
 borum emphasis satis exprimere, ve-  
 rum à sententia S. S. s̄epiusculè defle-  
 stere, testis est Hieronomus, dum in  
 præf. in El: faterur, *qvod florem ser-*  
*monis Esaie translatio non potuerit ser-*  
*vare.* Ut taceam Solœcismos & bar-  
 barismos pene innumeros, in Versione  
 hac pseudo authentica occurrentes, qvi-  
 bus S. S. delectatum fuisse, nemo nisi  
 blasphemus vel cogitaverit.      §. IV.

## §. IV.

**M**odestiores nonnihil videntur, qui dicunt: Vulgatam Versionem, si non ~~εσόπτυεοσος~~, ab omnibus tamen prorsus erroribus etiam levioribus, iisque qui fidem aut vitæ præcepta non concernant, immunem esse. Ad probandam suam assertionem, rem ita à Synod: Trident: definitam fuisse contendunt. Sed monstruo hoc simile, quod ab omni errore penitus libera, quoad omnes sui partes judicata sit versio scripturæ humana, neque visa neque examinata, quantum ad plurimas sui partes: quippe quæ integra & absoluta, demum 46 annis post decretum illud enata est, Pontificum & auctoritate & judicio. Hic autem Patrum Trident: temeritati quid prætexant non video, nisi forte dixerint, illos Spiritu propheticō prævidisse Cardinales cæterosque emendationi destinandos infallibiles fore in omnibus, vel certe ita emendaturos Vulgatam Versionem, ut nullus in ea reliquus

liq<sup>u</sup>s factus sit error, nulla, vel quod minima etiam, à mente S. S. exorbitatio. Neque alio modo Deleg: Cardinal: Senatus omnes periodos, clausulas, voces, dictiones, Syllabas authenticas definire potuit, cum innumeris in locis sententiæ vocesque ita castigatæ sint sedecim post annos, prout judicio, R.R. PP. omni, si dis placet, exceptione superiori, haberi debuerint authenticæ. Sed quam vera hac in re Patr: Delegatusque Cardinalium Senat: prædixerint, ex correctione Sixtina, A:<sup>o</sup> 1590 in lucem emissâ, satis apparet, hic nequam illa ex parte Prædecessorum violasset sancita, si alioqui facta dictis consona, auctoritateque ejusmodi digna, deprehendisset; verum cum ad sui usque Pontificatus exordium, germanam Vulgatæ lectionem incognitam, & corruptissimas Romanæ Ecclesiæ pro eâdem, in usu fuisse agnovisset, non potuit non emendationem ejus instituere, tria adhibendo remedia: Anti-

quorum Codicum Lat: collationem, Patrum  
& veterum Interpretum enarrationem & En-  
brai Grecique textus considerationem. Qvi-  
bus observatis emendatissimam supra  
quamcunque suspicionem futuram cre-  
didiit. Laudanda certè ejus cura dili-  
gentiaque in suspicienda tam accurata  
lucubratione & revisione, non tamen  
talis existimanda, ut quæ omnes perio-  
dos, voces, syllabasqve efficerit authen-  
ticas; qvod auctor ipse innuit præfati-  
one Bibliis hisce præmissa verbis: *Prout  
optime fieri potuit.* Et ex eo ulterius cla-  
ret, qvod biennio post Clemens VIII.  
multa vitia in Sixti editione emendave-  
rit. Utrumqve forte laus promerita  
dignaque encomia mansissent, nisi piam  
omnibus Pontificiis subfuisse fraudem  
in translatione & correctione, auctor  
esset Bellar: in Epist: dat: Capuæ 6 No-  
vembris A:° 1603 ad Francilc: Lucam  
Brugensem, cum ait: *scias velim Biblia  
Uulgata non esse à nobis adcuratissimè ca-  
stigata, multa enim de industria justis da-*  
*cau-*

*causis præterivimus, qvæ correctione indi-  
gere videbantur.*

S. V.

Tertia denique, qvam Vega Andrad: Driedo, Mariana, Bellarminus, aliq; defendunt, hæc est sententia, qvæ Vulgatam sic statuit authenticam, ut immuni-  
nis sit saltim ab iis erroribus, qvi in fi-  
dem & bonos mores impingant. Sed  
qvæ illis qvæso fides intelligitur, dum  
Versionem Vulg: in fidem non impin-  
gere sibi imaginantur. Fundamentum  
fidei divinæ organicum Scriptura Θεο-  
πνευστις est, qvæ tanquam perfectissima,  
& ad cognitionem salutis acqviren-  
dam sufficientissima, indubitata fide est  
amplectenda; cuius perfectioni qvi vel  
unius verbi additione aut detractione  
obclamarit, illi S. S. ad extremam ulti-  
mi scripti authentici calcem, gravissi-  
mas intimat poenas, Ap: XXII. 18. 19.  
*Si quis apposuerit ad hæc, apponet DEUS su-*  
*per illum plagas scriptas in Libro isto;* Et si  
*quis diminuerit de verbo libri Prophetie*  
*bjus*

hujus, auferet DEUS partem ejus de libro  
 vite, & de civitate sancta, & de scriptis  
 in libro isto. Quod si igitur vigore hu-  
 jus dicti, unius etiam verbi scripturis  
 divinis facta additio vel ablatio DEO  
 est exota, quanto magis, additio  
 vel detractio non vocularum sicutim,  
 sed integrarum sententiarum, non ea-  
 rum solum, quæ sive addita sive omis-  
 sa parum aut nihil scripturis deroga-  
 re videantur, sed etiam illarum pari-  
 ter, quæ non absque periculo vel sen-  
 sus variatione addi vel omitti possunt,  
 erit, non duntaxat DEO abominabi-  
 lis, sed fidei quoque ipsi adversa,  
 quæ credit, prius cœlum terramque  
 transitura, quam vel iota unum aut  
 apiculum de Scripturis Divinis Matt: V. 18.  
 Imo quæcunque DEO non placent,  
 fidei quoque displacent. Ejusmodi a.  
 additionum in V. V. cum copiosissi-  
 mum annotaverit numerum Beat:  
 Doct: Abrah: Calovius in Critic.  
 sacr: Diatrib: 9, eo Lectorem remitti-

mus unico tantummodo apposito exemplo eoque clarissimo, quo convincitur Vulgata in iis falsa, quæ fidem salvificam concernunt, etiam ex confessione ipsorummet Advers: præcipue Bellarim: qui agnoscit textum Hebraum Pt: II: v. 12. Ad refutandum Judæos, Deitatem Christi negantes, invicti præbere argumentum. Vulgata a. Versio si attendatur, cum Judæis plurimum facit, nihil ibi de filio DEI, nihil de adoratione Messiaæ, & quæ de ira habentur, non ad Filium, sed ad Jehovā referuntur: & cum non indicetur Christum esse Jehovahm illum, de cuius ira ibi sermo, ideo nec confidentia in eo locanda innuitur, sed tantum in illo Domino. Annon hoc est in fidem impingere? Videant iccirco Romanenses, qui effugere possint execrationem illam formidabilem, quæ sæviet in illos dum divinam scripturam ita adultere atque tam temere castrare non dubitant?

## S. VI.

Promissi haud immemores, priusquam  
 supremam nostræ manum imponi-  
 mus opellæ, anguem in herba latente  
 leviter protraxisse juvat. Est ea causa  
 scilicet, quæ impulerit Concil: Tri-  
 dent: ad Canonizandam Vulgatam Ver-  
 sionem, quam secret: Pontif: Julii IV  
 act: prim: oper. Verg: t. i. pag: 12. non  
 incompetenter ponit, linguarum origi-  
 narium ignorantiam. Itaque ait si bi( scilicet Reformati ) congregiantur cum nostris  
 bus, multa certè imminebunt pericula: scis  
 enim tuos Episcop: esse ferè literarum rudes, vo-  
 luptati autem ac deliciis deditos. Cum  
 Reformati in dubium vocarent Versionem Vulg: & ad ipsos fontes provo-  
 carent, noluerunt Pontif: ut imperitiæ  
 & ruditatis suæ satis concii, Reforma-  
 tis hac in parte satisfacere; ideo Vulgat:  
 Version: canonizarunt, eamque Textui  
 Hebr: & Græc: longè præferendam sta-  
 tuerunt. Tanta fuit raritas virorum,  
 qui

qui Hebrææ & Græcæ linguarum ha-  
buerunt peritiam, ut fateatur Bellarm:  
de V. D. libr: 2. 10. conciliis generalibus aut  
paucissimos aut interdum nullos fuisse linguae  
Hebreæ peritos. ô mores! ô tempora! sed  
quid hæc miremur? nec ipsa quidem  
Biblia latina, etiam doctissimi inter ipsos,  
nisi rariissime tractabant. cuius rei te-  
stem habemus Albertum Archi-Episco-  
pum Moguntinum qui A. 1530 in Co-  
mitiis Augustanis cum forte Biblia in  
mensa collocata obiter aperuisset, folia-  
que eorum quædam perlustrasset, in  
hæc tandem loquutus est verba: *Eybi-  
dem nescio, quid hoc libri sit, illud video,  
omnia quæ eo continentur, nobis adversa esse;*  
Altera causa canonizationis Vulgatæ  
Vers: fuit convenientia & aptitudo e-  
jus ad confirmandam religionem Pon-  
tificiam. Qvod ex plurimis seqventia  
demonstrant exempla: Gen: III: 15. Vulg:  
peſſimè corrupit ſententiam S. S. cum  
qvod in textu authentico vindicatur  
**Christo ſemini muljeris**, ad ipsam mul-  
je-

jerem nempè detorsit. Depravatio  
 hæc nequaquam R R. P P. auctoritate  
 alias stabilita fuisset, nisi accommoda  
 vila fuisset cutandis abominationibus &  
 erroribus in Ecclesiam invectis; qvod  
 nimirū Maria fuerit corredemtrix & ca-  
 put serpentis calcarit, eapropter reli-  
 giosè adoranda: ut habetur in Anti-  
 dot: animæ foli: 118. *ad uro & benedico san-*  
*ctissimos pedes tuos, qvibus antiqui ser-*  
*pentis caput calcasti.* Missam ex Genes:  
 XIV: 18. exculpere satagunt mirabili  
 artificio: ubi Vulgata legit offerens pa-  
 nem & vinum. Sed textus Hebræus &  
 ex eo alii proferens habent, sic tamen  
 V. V. edita Lugduni 1622. Limbum  
 Patrum exstruunt ex Gen: XXXIV. 35.  
*Descendam ad filium meum lugens ad infer-*  
*num:* ubi tamen Hebræum חַנְלָשׁ de-  
 bet explicari ut sonat sepulcrum versus.  
 Probant ex eodem Verl: invocationem  
 Sanctorū, qvia dicitur Gen: XLVIII. 16.  
 & invocetur super eos nomen meum: ine-  
 flicaciter: cum in Textu Hebræo ha-  
 be-

beatur, nominetur. Possent longè plura adduci exempla in hanc rem, sed promissio brevitatis obstricto ulterius progredi non licet, neque animo luctbet anxiō, cum parum ex optato quod recepit, se præstítisse sentiat.

**HALLELUJAH!**



*Ad*

Auctorem operis  
Eruditissimum & Moratissimum;

DN. HENRICUM  
JUSTANDRUM,

Collegam Scholæ Aboënsis commen-  
datissimum, & Amicum suum  
probatissimum.

**S**i tibi forte sitim duram levis uanda  
domabit,

Sittibi de puro fonte petita modo:  
Nam mare cū fluviis & rivi, stagna,  
paludes,

Sæpe saltem & sordes, sæpe vene-  
na vehunt.

Sic quoqu; dicta DEI propriis de fon-  
tibus hausta

Dant vitam, morbos sed male  
versa cident.

*lusit*

J. Cålpo. S. F.

*Rv DISS. norm.*  
*Ad Eundem:*

**N**elcia mutari, ad mores natura re-  
currit;  
Lex est quam cunctis impressit Re-  
ctor olympi.  
Fama potens quibus est cordi, quibus  
inlyta virtus:  
Viribus invictos præclara ac stirpe cre-  
atos  
Vivida vis urget generosos surgere in  
ortus,  
Gloriaque egregios præstanti munere  
donat.  
Justandrum claro natum de sangvine  
virtus  
Et vis ingenii patrios meditarier  
ortus  
Jusserunt, meditatumque hæc sua char-  
ta probabit  
Monstrans alte illum penetrasse in tem-  
pla Sionis:  
Pergere ne cessa studiis impendere  
tempus,  
Præmia larga manent, ac circum tem-  
pora laurus.  
*Paucis L. Mq. gratulari voluit-*  
*A. SVEO-MONTIIN.*